

Index Argumentorum Decisionum.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Divortii Etymologia, Definitione, ac Divisione præmissa, agitur de causis, quibus Divortium inter conjuges fieri potest quoad Thorum, & Habitationem. Omnes causæ reducuntur ad quatuor genera, nempe ad Devotionem, ad Contagionem, ad sævam Tractationem; & ad spiritualem, ac corporalem Fornicationem. Explicantur in specie causæ omnes, quæ sub his generibus continentur: & ostenditur, Quæ Auctoritate fieri debeat Divortium? Et quibus poenis Conjuges eidem causam dantes afficiantur? pag. 201

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Differitur de Dispensationibus Matrimonialibus super Impedimentis dirimentibus, tam pro Foro externo, quam pro Foro interno. Circa primas, referuntur duodecim Notabilia, à Vicariis, ac Ministris Episcopalibus omnino scienda, ac observanda pro recta Matrimonialium dispensationum expeditione. Circa secundas, declarantur totidem Clausulæ existentes in Litteris Sacre Pœnitentiariæ, ut ex eorum notitia, ac perfecta intelligentia Confessarii, tam Saculares, quam Regulares, ritè, ac rectè valeant dispensare in Impedimentis occultis, atque Litteris S. Pœnitentiariæ punctualem executionem dare. pag. 206



DE



DE
SACRAMENTO
MATRIMONII.

DECISIO I.
ARGUMENTUM.

Ad intelligentiam hujus Tractatus, docetur, Matrimonium considerari, vel tamquam simplicem contractum, vel simul etiam tamquam Sacramentum. Item, vel in fieri, vel in facto esse. Tamquam contractus est de jure Naturali, Gentium, & Civili; cui à Christo addita est dignitas Sacramenti. Hæreticorum objectiones, ac solutiones. Quando, & quo loco Matrimonium factum sit Sacramentum? Opiniones quinque. Eiusdem quadruplex Nomenclatura variis eruditionibus explicata.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonium consideratur & ut contractus civilis, & ut Sacramentum.
- 2 Item aliud in fieri, aliud in facto esse.
- 3 Matrimonii contractus sex requisita.
- 4 Copula carnalis an sit de essentia contractus Matrimonii?
- 5 Contractus Matrimonii est de Jure Civili, Gentium, ac Nature.
- 6 Contractus Matrimonii quando habuit initium?
- 7 Copula maritalis an ante peccatum Ade esset sine delectatione Venerea?
- 8 Hæretici, qui docebant Matrimonium esse rem malam.
- 9 Deus bis instituit contractum Matrimonii.
- 10 Matrimonium an cadat sub Præcepto; vel sub Consilio? Et n. 11.
- 12 Lacabant Conjuges se olim aqua post copulam.
- 13 Hæretici negantes Matrimonium esse Sacramentum.
- 14 Eorum Argumenta sex. Et horum solutio num. 18.
- 15 Matrimonium esse Sacramentum est de fide.
- 16 Argumenta hoc idem præstantia.
- 17 Dona quatuor Spiritualia, que dantur conjugibus.
- 18 Quando & quo loco Matrimonium factum sit Sacramentum à Christo? De hoc opinioniones quinque.
- 19 Matrimonii nomenclatura quadruplex.
- 20 Sponsalium significatio.
- 21 Conjugium cur dicatur Matrimonium?
- 22 Cur Connubium?
- 23 Puellas maritandas etiam Eibnici vel cooperiebant.
- 24 Hymeneos agere, quid sit?
- 25 Matrimonium cur à Matre denominetur, & non à Patre?

De Sacram. Matrim.

V isum fuit expedire, ut Clerus Patavinus circa Matrimonii Sacramentum particulare studium faceret: quippe Capellanorum plurimi, pro confessionibus excipiendis à me de more examinati, reperti sunt, veram hujus Sacramenti naturam, partes essentielles, ac potissimum impedimenta ignorare. Igitur, annuente Eminentissimo, ac Reverendissimo GREGORIO CARDINALI BARBADICO Præsule Vigilantissimo, hoc anno 1683, duo fuere proposita Quæstia pro initio hujus tractatus, scilicet 1. Quid sit Quadruplex sit Matrimonium? 2. Cur hoc nomine nuncupatur? Quod ad Primum responsum fuit: Quod Matrimonium dupliciter consideratur, vel tamquam simplex contractus Civilis, vel tamquam Sacramentum Ecclesiæ. Primo modo Matrimonium dicitur esse civilis contractus, proveniens ex mutuo consensu Maris, & Femine, qui ad invicem sibi promittunt propriorum corporum traditionem perpetuam, & in eadem jus, ac reciprocum dominium ad effectum generandi filios; que quidem promissio, obligatio, ac dominium promissum inter conjuges à Theologis vocatur Vinculum proveniens à prædicto contractu civili; adeo ut ipsamet obligatio, seu mutus promissio sit contractus Matrimonii in fieri; at vinculum prædictum sit contractus Matrimonii in facto esse permanens, ac emanans ab eodem contractu in fieri, & sic contractus in fieri, nempe ipsa promissio, sit causa hujus vinculi; ipsum autem vinculum, tamquam perpetuum, ac permanens, sit effectus illius actionis transeuntis, in qua conjuges contrahunt ad invicem, & celebrant hunc contractum Matrimonii; ut fufius differunt Theologi, inter quos Matrus in 4. sent. disp. 7. de Matrimonio num. 2. Emin. Card. de Lauræa eod. tr. de Matrim. disp. 12. numer. 8. ubi doctè advertit, ad hunc contractum merè civilem perficiendum sex requiri: Primum consensum internum maris, & femine; Secundò exteriorem expressionem talis consensu, verbis, vel aliis signis factam; Tertio traditionem corporum, quæ est objectum contractus, & translatio dominii; Quarto Vinculum prædictum, idest jus perpetuum talis dominii mutui; Quintò obligationem ad dandum, seu reddendum debitum; & Sextò consummationem Matrimonii per copulam actualem. Eadem docet Eminent. Cardin. Capifuccus in Controuersis Theologicis selectis Controv. 14. §. 3. ubi tamén eruditè probat, copulam actualem prædictam non esse de essentia prædicti contractus ex doctrina D. Thomæ in 4. sent. dist. 30. qu. 1. art. 2. quæstione. 2. & S. Bonaventuræ in 4. dist. 26. p. 2. qu. 3. ca

ea manifesta ratione, quia essentia cujuslibet contractus perfectè subsistit abique actuali usu rei, de qua fit, & cum solo Jure, ac potestate utendi; quod etiam in terminis demonstrat ipse Em. Card. de Lauræa d. disp. 12. à n. 104. & sequ. Et Diana Coordinatus tom. 2. vr. 6. ref. 28. delumpta ex part. 9. tract. 7. resol. 76. in qua §. 2. ait, quod copula, seu Matrimonii consummatio non spectat ad substantiam ejus; & idem adstant Salmanticenses tomo 12. tract. 9. de Matrim. cap. 3. numer. 5. & nos infra Decif. II. num. 13.

Porro circa Matrimonium tamquam simplicem contractum duo notabilia dicta fuere a studiosis nostris: Unum, quod contractus iste non solum probatus est à Legibus Civilibus, ut in titulis Codicis De Sponsalib. De Donat. ante Nuptias; & in titulo ipso De Nuptiis; sed etiam ab ipso Jure Gentium, ut docet Bart. in l. 1. §. hujus stultitia. 5. ff. de Julf. & Jur. quod patet ex Sara, quam Abraham duxit sibi in Uxorẽ; & ex Rebecca, que data fuit Uxor Isaac. Genes. cap. 24. ac etiam ab ipso Jure Naturæ; Nam ratio naturalis dicitur homini, ut mas, & femina simul habitent non solum ad suscipiendam prolem, sed etiam ad illam educandam, & promovendam ad perfectum statum hominis; ad quem effectum necessarium est vinculum Matrimoniale. Ulterius à natura habemus convenientiam obsequiorum, que maritus, & uxor inter se præstant; quædam enim sunt officia in familia, que tantum à feminis obeuntur; alia à maribus; & sic denotatur contractum hunc Matrimonium esse à Jure naturali; & ceteris rationibus omiffis, quia si non esset Matrimonium, insurgeret magna confusio inter homines, cum nulla esset certitudo liberorum; nemo suas proles agnosceret, unde præter alia mala, Pater cum filia concumberet, & Mater cum filio contra jus naturæ; à quo jure propterea procedit contractus iste Matrimonii, ut bene considerat Lessius in 3. part. D. Thomæ De Sacram. Matrimonii cap. 1. dub. 2. nu. 4. & Volpi in Resolut. moralib. Verb. Matrimonium, in Introduc. numer. 3. & 11. ubi ideò probat contractum hunc esse de jure naturali, quia fuit institutus, quando dictum fuit à Deo Adæ, & Evæ, Gen. 2. Crescite, & multiplicamini; quia Deus ita locutus est tamquam Natura Naturans, & allegat S. Hieronymum in cap. 1. ad Eph. relatum in cap. Sicut non omnis. 32. q. 2. ubi in §. His ita; legitur, quod Deus tantquam Auditor naturæ bis ordinavit hunc contractum; prima vice ante peccatum primum parentum causa sobolis procreandæ; altera vice post eorum peccatum etiam ob aliam causam, nempe ad evitandum fornicationem; Glofa autem ibidem in Verb. sine ardore subdit hæc verba: Nisi homo peccasset, sine ardore, & pruritu fuisset genitalium conjunctio, sicut est aliorum membrorum; veluti si applices digitum digito, vel manum cum manu; quod an sit credendum? aliis cogitandum relinquo; memini enim me aliàs legisse, in functionibus sensuum humanorum, que sunt necessaræ ad vitam, Deum providè inseruisse delectationem, ut eas homines promptis exercerent, ut est in esu, & potu; nec ab eis se abstinenter cum detrimento conditionis humanæ, prout plurimi fecissent, si nullam experirent oblationem; unde idem videtur dicendum in usu Matrimonii etiam ante peccatum.

Hic autem Historiæ Ecclesiasticæ Studiosi notant, contractum hunc Matrimonii, etiam in sola natura contractus, fuisse à diversis hæreticis damnatum, proscriptum, & pessimum reputatum. Oportet enim primus fuit quidam Saturninus Anno 1200, qui negabat honestatem Matrimonii, & docebat, hunc contractum esse inventum diaboli; ac pro proles procreatione sufficere conjunctionem vagam.

Hunc errorem amplexus est Marcion, qui Anno 146. vivebat, & docebat, conjugatos esse incapaces æternæ salutis, idemque asserabant Manichæi, Hieracitæ, ac Albigenses, quos ex Emin. Cardin. Baronio refert Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 12. nu. 69. & Sallèles in 4. Inquisit. in Indice 2. Verb. Matrimonium. Ceterum contrarium Matrimonii etiam tamquam merè contractus, est actus moraliter bonus, ut pluribus argumentis, ac rationibus probat Em. Card. de Lauræa ubi supra n. 80. & sequ. ex doctrina Scoti in 4. sentent. dist. 26. quest. Unic. & S. Bonaventuræ ib. nec non S. Thomæ 3. part. in supplem. quest. 41. art. 3. & 4. liquidem fuit à Deo institutus, & ab eodem bis præceptus Gen. 2. & 9. in illis verbis: Crescite, & multiplicamini: atque per os Adæ locutus est ipsemet Deus, quando dixit: Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhaerebit Uxori sue, & erunt duo in carne una. Gen. 2. 24. Deus autem non potest præcipere rem malam. Ulterius contractus Matrimonii consummatur inter ea, que pertinent ad jus naturæ, cap. Jur. naturale. dist. 1. in fine. Sed omnia jura naturalia sunt bona, imò optima, ac inter recta rectissima. Item est toti Republicæ humanae bonus, utilis, ac necessarius, & rectæ rationi conformis, quia conjunctio vaga est perniciosissima eidem Republicæ; ac proli, que vel à nullo educeretur, vel sine disciplina; & tandem quia contractus iste est sine operis est actus virtutis, atque meritorius; habet enim pro fine propagare prolem ad Dei cultum amplificandum, prope etiam evitare fornicationem; qui omnes sunt actus Temperantiæ, Religionis, ac Charitatis, & per consequens actus virtutis; ut latè differunt Theologi in tr. de Ath. humanis, inter quos Magistrus in 2. sentent. disp. 5. quest. 4. art. 4. & Salmanticens. tom. 3. vr. 11. qu. 6. per totam. Et hæc omnia de Matrimonio tamquam simplici contractu; cujus bonitatem tenent etiam iidem Salmanticenses dist. tr. 9. de Matrim. cap. 3. punct. 3. à num. 17. & 18. ubi auctoritates SS. Patrum allegant, & rationes.

Sed obijciat aliquis. Si Matrimonium esset bonum, caderet vel sub præcepto, vel sub consilio. Sed sub neutro cadit: non sub præcepto, aliàs Christus, qui Matrimonium non contraxit, totam legem non implevisset: non sub consilio, quia sub hoc non possunt duo contraria dari; ac sub consilio datur Virginitas, & Cælibatus; Ergo non datur contractus Matrimonii. Secundo, quia id, quod separa à Deo, peccatum est; juxta verba Isaie cap. 59. Vers. 2. Iniquitates nostræ dividerunt inter nos, & Deum nostrum. Sed copula Matrimonialis separa à Deo; idcirco præcepto Hebræis, ut abstinerent ab uxoriibus, quando eis erat legem datus. Exod. 19. 15. & olim ingressus Ecclesiam, debebat aqua lavari, si dormierat cum uxore. c. Vir cum propria. 33. q. 4. Tertio est Philosopho 7. Ethicor. nemo potest percipere mente, dum est in illa voluptate copulæ carnalis. Ergo Matrimonium malum est, quia impedit Deum colere, atque contemplari.

His tamen minimè obstantibus vera est conclusio, quod Matrimonium est bonum, ac licitum. Et ad primum responderet, cadere quidem sub præcepto obligante multis de communitate hominum, sed non omnem. Ad secundum dicitur, separationem à Deo per ejus gratiæ privationem, & charitatis amissionem procedere à re mala; & peccaminosa; non autem per illam, que provenit ob occupationem. In rebus licitis, ut est dormire, negotiari, & maritali copulæ operam dare, quia hæc omnia bona sunt, & non mala; & non separant privatione gratiæ, & charitatis. Hebræis autem dictum fuit, ut abstinerent ab uxoriibus, dum Lex illis dabatur, quia opus erat attentione, ac devotione

ratione speciali in ea recipienda. Sic maritus olim se lavabat aqua antequam Ecclesiam ingrederetur, cum coisset cum Uxore, non ob maculam animæ, sed corporis diluendam ad majorem reverentiam loci sacri; vel etiam ad ablucandam venialem culpam, quam ob excessum libidinis facile conjugati incurrent, se aqua benedicta abstergebant. Huc usque dicta concernunt Matrimonium primo modo sumptum, videlicet quatenus est simplex contractus civilis.

Altero modo sumitur Matrimonium, quatenus nempe consideratur non solum ut contractus; sed simul etiam ut est Sacramentum. Quapropter sciendum est, plures fuisse hæreticos, qui voluerunt Matrimonium esse simplicem contractum, sed nequaquam esse Sacramentum; & hi fuerunt Marcionitæ, Armeni Apostolici, & Wicleph, & alii, quos memorat Salmanticens. d. tract. 9. de Matrim. cap. 3. num. 36. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 69. & Sallèles in Indice 2. tom. Verb. Matrimonium; quos novissimè sequuti sunt Lutherus, & Calvinus, ut refert Castrus Verb. Nuptiæ Heres. 4. & Emin. Card. Bellarminus lib. 1. de Matrim. c. 1. Istorum Acatolicorum argumenta erant: Primò, qui non est baptizatus, non potest sumere Sacramenta Ecclesiæ. Sed Infideles non baptizati contrahebant verum Matrimonium. cap. Gaudemus. De Devotio. Ergo non est Sacramentum. Secundò Sacramenta faciunt homines conformari cum Passione Christi, à qua efficaciam habent. Sed per Matrimonium homines non conformantur Passioni Christi, quia hæc fuit penalis; illud est delectationem plenum. Ergo non est Sacramentum. Tertio Sacramenta tamquam de Jure divino non possunt alterari à potestate humana. Sed Ecclesia pluries alteravit Matrimonium, faciendo illud invalidum, prout patet de clandestino. Ergo non est Sacramentum. Quarto, Sacramenta tamquam signa præctica causant id, quod significant. Sed Matrimonium significat, sed non causat unionem Verbi cum humanitate, neque unionem Christi cum Ecclesia. Ergo non est Sacramentum. Quintò Sacramenta causant vel primam, vel secundam gratiam. Sed Matrimonium non causat primam, quia hæc datur tantum per Baptismum, & per Pœnitentiam; nec causat secundam, quia imò Virgo nubens patitur diminutionem gratiæ perdendo Virginitatem; unde ait Apostolus 1. Cor. 7. Qui non nubit, melius facit. Et de non nubentibus subdit: Beatior erit, si se permanserit. Ergo matrimonium non est Sacramentum. Sextò, Sacramenta sunt gratis conferenda, & abluere pecunia; aliàs committitur conferranda, ut. De Simonia, cuius Rubrica ita loquitur. De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur. At in Matrimonio promittitur, & exigitur dos, que est iudicium temporale. Ergo Matrimonium non est iudicium spirituale, non causat gratiam, non est Sacramentum. Septimò nec deservunt inter Catholicos Canonistæ aliqui, ac etiam Theologi, inter quos Magister Sententiarum in 4. dist. 26. & ibi Durandus quest. 3. qui dixerunt, Matrimonium non esse eisdem rationis cum aliis Sacramentis, nec conferre gratiam cum reliquis. Pariter Everardus in loco à Matrimonio carnali ad spirituale in differ. 8. ait: Matrimonium carnale nihil in se spiritualitatis habere, nec per illud gratiam conferri.

Ceterum his minimè attentis, dispendum est, Matrimonium verè Sacramentum esse novæ legis univocè conveniens cum aliis, gratiamque ex opere operato communicans; & est conclusio de fide, non solum quia parte dicit, esse verum Sacramentum, de quo nunquam inter Catholicos fuit dubium, sed etiam quia parte asserit gratiam conferre, de quo licet olim apud aliquos fuerit dubium, at De Sacram. Matrim.

post Concilium Tridentinum, omnino cessat; liquidem in eo ita determinatum legitur sess. 24. de Matrim. can. 1. Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè; ac propriè unum ex septem Legit. Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre, Anathema sit. Idem antiquitè determinatum erat à Lucio Papa Tertio in cap. Ad abolendam. 9. de Heretic. & à pluribus Conciliis, que referuntur ab Emin. Card. de Lauræa in ejus Epitome Canonum: Verb. Matrimonii essentia, & institutio, & Sacramentum. Vers. 5. & præcipue ab Eugenio IV. in Decreto Union. Armonor. §. 5. Idem quoque senserunt SS. Patres antiqui Ambrosius, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & alii, quorum verba refert ipsemet Emin. Card. de Lauræa disp. 13. de Matrim. art. 1. per totum; ac docuerunt Scotus in 4. sentent. dist. 26. & sequ. usque ad dist. 36. & S. Thomas 3. p. 2. q. 41. in addit. art. 1. & 3. alique plurimi, quos lato calamo referunt Coninch. disp. 14. dub. 2. & Emin. Card. Bellarm. Controv. 1. de Matrim.

Quamvis autem hæc veritas non egeat probatione, cum sit definita à Tridentino de fide; probatur tamen sic. Primò: Sacramentum est signum rei Sacre. Sed tale est Matrimonium, quia significat Unionem Humanitatis cum Verbo; Unionem Christi cum Ecclesia; & unionem conjugum cum Deo per gratiam, ac inter se ipsos per charitatem. Ergo est Sacramentum. Secundò: Cùm in Matrimonio plura sint onera à conjugatis ferenda, opus est gratia divina, ut illa laudabiliter ferantur. S. Thom. d. 3. part. quest. 41. art. 3. Sed hæc gratia datur fidelibus contrahebentibus Matrimonium. Ergo est Sacramentum. Tertio, quia de hac gratia locutus est Apostolus 1. ad Tit. 2. ita dicens: Salvabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate: Que verba innuunt effectum gratiæ sanctificantis; que datur per Matrimonium; ex ea enim conjuges quatuor dona spiritualia percipiunt, & sunt. 1. Donum fidei, idest fidelitatis, ne cum altero coquantur. 2. Donum dilectionis, quo amantur adinvicem. 3. Donum sanctificationis, quo utuntur sanctè copula maritali. 4. Donum sobrietatis, quo cavent ab effrenata libidine, sed debito modo, loco, ac tempore copulantur. Ergo hæc dona sunt effectus denotantes gratiam, que confertur conjugibus, dum suscipiunt Sacramentum Matrimonii. Quarto tandem, quia Divus Paulus agens de Matrimonio, cùm ad Ephos. 5. dixisset: Viri diligite Uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam; statim subdit, Sacramentum hoc magnum est; inuens, Matrimonium esse verum Ecclesiæ Sacramentum; ut latè demonstrant Meratus, & Hiquès, quos citat Magistrus in 4. sent. d. disp. 7. n. 22. & 23. Vasquez, & Basilis Pontius allegati à Salmanticensibus d. tract. 9. de Matr. c. 3. n. 37. & inter ceteros S. Bonaventura in 4. dist. 26. part. 2. q. 2. quem refert Emin. Card. de Lauræa dist. disp. 13. n. 30. de quo Sancto ita scribit: Postquam tenuit diversas aliorum opiniones, dicit, Sacramentum Matrimonii causare gratiam in contrahebentibus; imò assignat etiam gratiam Sacramentalem hujus Sacramenti, scilicet carnalem conjunctio-nem, & velle semper esse cum una; & ex qua gratia singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat, &c.

Hæc igitur retenta veritate non subsistunt argumenta contra illam adducta. Non Primum, quia in cap. Gaudemus. De Divort. Matrimonium infidelium vocatur Sacramentum in lata significatione; nam omne signum rei sacre à Deo institutum, ita nominari potest; non autem strictè, ac propriè, quatenus dicit signum præctium gratiæ sanctificantis animam; que gratia infidelibus non datur. Siquidem ante

ante adventum Christi Matrimonium habuit solùm esse contractus; ut latè probat Em. Card. de Lauræa d. disp. 23. art. 7. per totum, & Maltrius in cit. disp. 7. de Matr. n. 26. Non Secundum, cui respondet S. Th. 3. parti. q. 42. art. 1. ad 3. quòd scilicet, quamvis Matrimonium non faciat contrahentes conformes Passionibus Christi, quoad penam, facit eos conformes quo ad charitatem, ob quam Christus pro Ecclesia sponsa sua passus est. Non Tertium, quia Ecclesia directè non alteravit naturam Sacramenti Matrimonii; sed indirectè, quatenus est contractus, ponendo conditiones pro consensu in eundem, quæ si deficiant, contractus sit nullus, & indirectè Sacramentum quoque, ut in Matrimonio clandestino. Non Quartum, quia licet non causet Matrimonium Unionem humanitatis cum Verbo, & Christi cum Ecclesia, quam significat; causat tamen gratiam sanctificantem, & charitatem, quibus conjuges inter se, & cum Deo conjunguntur; per quam conjunctionem significatur etiam conjunctio Christi cum Ecclesia, illam diligentis, & gubernantis. Non Quintum, quia contrahentes consequuntur secundam gratiam, & sic ejus augmentum, nisi ponant obicem. Nec contrarium innuit Apóstolus, qui loquitur de statu conjugatæ, & de statu Virginis; & hujus status est beatior, si sic permanferit: at quoad gratiam, si contrahat, ejus obtinet augmentum. Non Sextum, quia cùm Matrimonium sit contractus, & sit Sacramentum, dos in eo datur ob onera ex eodem contractu emnantiæ; non autem ob Sacramentum, seu dona spiritalia, & gratiam Sacramenti, sicut pro calice, & patena datur pretium, non pro ejus consecratione, sed pro valore materiæ, qua sunt constructi. Ita Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. c. 3. n. 43. & 44. & Maltrius in 4. sent. d. disp. 7. num. 24. & 25. ubi alia objecta facit, & solvit.

Adhuc autem circa Matrimonium prout est Sacramentum restat solvenda curiosa alia dubitatio; nempe quando, & quo loco, elevatum sit à Christo Domino ad dignitatem Sacramenti? Dissidium est apud Theologos circa hoc dubium; & plures recententur opiniones. Una est, quòd id factum sit in primo instanti eoz Incarnationis; cùm enim Christus Dominus in eo momento prædictus esset perfectè usu rationis, & per suam Incarnationem facta esset Unio Humanitatis cum Verbo significata in contractu Matrimonii; cùm ex duabus naturis Divina, & humana subsisteret una Persona, id est ipse Christus; & talis Unio esset indissolubilis, juxta illud: Quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit; & hoc omne significaretur in contractu Matrimonii, in quo ita Mas, & Femina simul junguntur, ut sint duo in carne una; talisque Unio sit indissolubilis; voluit Filius Dei statim honorare hunc contractum suæ Unionis hypostatice significantium, illum elevando ad esse Sacramenti. Ita Guido in Enebiria. tr. 1. c. 1. quem citat Cotonius Controver. celeberrim. lib. 5. c. 1. n. 7. Altera opinio est, quòd Christus condecoraverit contractum Matrimonii dignitate Sacramenti in Nuptiis Canæ Galilææ, quibus interfuit, & convertit aquam in vinum. Joan. 2. Ver. 3. Hinc Barradius in Concord. Evangelist. tom. 2. lib. 3. cap. 4. propè finem ait: Honoravit Christus Matrimonium in statu innocentiæ; honoravit etiam post peccatum, cùm Sacramentum, & gratiæ causam illud efficit. Presentia quoque sua, ac primo miraculo nobilitavit. Quod quidem miraculum conjugii effectum adumbrat. Matrimonium enim ante Christi adventum, hydia erat frigida aque plena; at post Christi adventum, vinum jam habet suavissimum, hoc est gratiam. Quòdam vinum suavis gratia reparari potest? Hoc Matrimonii hydia jam continet. Quis tam suave vinum insudat aquaria hydia? Christus. Nam Sacramentum Legis novæ con-

jugum efficit gratiam continens, & conjugibus conferens. Hanc opinionem tenuerunt Henricus libr. 11. de Matrim. c. 2. §. 1. & alii, quos citat Gloss. ibi Lt. G. quibus adheret P. Macedo De Clavibus Petri tr. 6. c. 1. col. 4. Tertia est opinio, tunc fuisse Matrimonium elevatum à Christo ad esse Sacramenti, quòd Matth. 19. cùm plura dixisset de illo, subjunxit: Quod Deus conjunxit, homo non separet; & hanc amplexi sunt plurimi, quos refert Sanchez de Matr. lib. 2. disp. 4. n. 5. quibus novissimè adscribitur Emin. Card. de Lauræa d. disp. 14. de Matrim. n. 88. ubi ejusdem opinionis Scotum fuisse auctorem demonstrat, subdicens sub n. 89. Neque alius inveniri potest locus, in quo clarius de materia, vel forma hujus Sacramenti loquatur. Ergo in hoc loco illud insinuisse dicendum est, Quarta est opinio, quòd hæc elevatio ad dignitatem Sacramenti facta sit à Christo in sua Passione; quando ex ejus latere aperto prodit Ecclesia, quam tunc Sanguine suis sibi desponsavit, ut innuit S. Thomas 3. p. q. 42. art. 3. ad 1. & pro hac opinione citatur Sotus, & Rayn. à Glossa apud Henricum d. lib. 11. c. 2. sub Lt. H. ac fulciri posse videtur verbis Concilii Tridentini d. sess. 24. in doctrina de Sacram. Matrim. ubi ita loquitur, de illo, Gratiam verè, que naturalem illum amorem perfecteret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjuges sanctificeret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, quæ perfectior, sua nobis passione promeruit; atque Paulus Apóstolus innuit dicens: Viri diligite Uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea; mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Quinta est opinio, quòd Christus instituerit hoc Sacramentum post Resurrectionem suam in illis quodraginta diebus, in quibus apparetur Apóstolis, loquebatur cum ipsis de Regno Dei, Act. 1. 3. id est de Ecclesia militante fundanda, regenda, ac Sacramentis ditanda; tunc enim & nonnulla alia Sacramenta fuisse ab eodem Christo Domino instituta tradunt SS. Patres, ut notavimus de Sacramento Extremæ Unctionis Depic. 63. à numer. 8. & seqq. quare Cornelius à Lapide in Ass. dicit. cap. 1. Ver. 3. ita commentatur. Nimirum docuit Apóstolos, quomodo Ecclesiam institueret, formare, præficere deberent per prædicationem Evangelii in toto orbe; per varios Episcoporum, Sacramentum, Diaconorum, Subdiaconorum &c. Ordines; per varios populi fidei gradus; & status; per Sacramenta; per humilitatem, patientiam, charitatem, ceterasque virtutes. Quo circa Christus hic docuit Apóstolos materiæ, & formatæ, ritusque singulorum Sacramentorum, & Ordinum, quas in Scriptura nūquam expressit; jejunium Quadragesimale, Baptisimum parvulorum, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed & sacrificium pro vivis, & deservit quotidie Deo offerendum; aliisque traditiones Apostolicas, quas ab illo acceptas Apóstoli Ecclesie, & posteris; ac posteris suis successoribus per manus continuè per singula secula usque adè tradiderunt. Et hanc opinionem tamquam magis probabilè elegit Meratus doctissimus Scoticus in tract. de Matrimonio disp. 2. sect. 7. quem citat Maltrius in 4. sent. d. disp. 7. eod. tract. n. 22. in fine. Dissidium igitur est inter Catholicos de tempore, & loco, quibus datum est Matrimonium pro Christo esse Sacramenti? sed quamvis id non sit scriptum ab Evangelistis, concors est doctrina, verè idem esse Sacramenti datum fuisse à Christo Domino, ut ex Apostolica traditione semper docuit Ecclesia, quod comprobant text. Concilia, ac Doctores relati à Gonzalez tom. 4. ad tit. de Sponsalib. c. 1. num. 16. ab Emin. Card. de Lauræa d. disp. 14. art. 6. & à Salmanticensibus d. tract. 9. de Matr. c. 3. n. 15. Hincque de primo Questio.

Quò ad secundum Questum, in quo requiritur, cur

cur hic Contractus, & hoc Sacramentum vocetur Matrimonium? Responsum fuit, Matrimonium variis nominibus solitum fuisse nuncupari ob varia mysteria; sed ceteris principalius fuit hæc Matrimonii nomenclatura ob maiorem ejus significacionem. Igitur sciendum, quòd Matrimonium vocari solet Sponsalium, seu Sponsalia ex eo, quòd recipi procè conjuges sibi spondent perpetuum adhærentem, & proprium corporum tradicionem; est hoc nomen non denotet ipsum contractum, sed initium contractus, ut observat Eminen. Card. de Lauræa d. tr. de Matr. disp. 12. n. 2. Utterius contractus iste venit sub nomine Conjugi; & ea est ratio, quia cum ineuntis unum, & idem iugum subeunt portandum usque ad mortem; subjectionem scilicet unius ad alterum in omnibus; quo respiciunt obligationem conjugalem; ducta metaphora à bobus eidem assistens iugo, quòd commodè ferunt, postquam sunt assueti. Hujus oneris compassione olim Deus juster, ne conjugati primo anno irent ad bellum. Deuter. 24. 5. Cùm accepit homo nuper uxorem, non proceat ad bellum, sed vacabit absque culpa domi sue, ut uno anno letetur cum uxore sua. Quasi non levem militiam sui gravi jugo conjugii exerciturus. Sed hæc moralitas à iugo dici debet, nempe, ut commodè feratur, sit inter aequales, juxta carmina illa Ovidii in Epist. Dianire ad Hercule. Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci: Tam premitur magno conjugis nuptia minor. Non honor est, sed oculus, species læsura forentem: Si qua vobis apti nubere, nube pari.

Item Matrimonium exprimitur sub nomine Nuptiarum, seu Connubi ex cæremonia illa, quam servabant antiqui, ut puella marito conjungendæ, velo quodam caput obnubere solebant, & hoc in signum pudoris, ut legitur in cap. Nec illud 30. qu. 5. & videtur ortum habuisse ex factò Rebecca, quæ ex paterna patria per servum Abrahami educa, Isaac in uxorem jungenda, appropinquans domui, cùm ipsum Isaac in campo vidisset, statim ex camelo descendit, & velo caput suum obnubuit. Genes. 24. 65. Undè S. Ambrosius lib. 3. de Virginib. de Rebecca scripsit: Velamen capitis accepit, cum venire ad nuptias, ne prius videretur, quam iungeretur: Et utique pulchra Virgo non decori timuit, sed pudori. De eadem quoque Sanctus Paulinus carmine 14. quòd est Epitaphium in Julianum, ita cecinit:

Pulchra Rebecca suum cùm sponsa veniret ad Isaac, simpliciter velo tota pudori orat.

Et hic mos velandi, & obnubendi capita pppellarum, quòd desponderentur, erat etiam apud Ethnicos; nam & Martialis lib. 12. Epigram. 42. sic habet de puellis ad sponsores ducentes:

Præluxere faces, velarunt flammae vultus; Nec tua defuerint verba Thalosse tibi.

Thalassis ille erat salum Numen, & Deus boni omnium in nuptiis apud Gentiles, ut notat Francisc. Serra in Synonimor. Apparatu Verb. Matrimonium. Similiter de hoc more velandi capitis mulierum in nuptiis loquitur etiam Ovidius 3. Fast. ita canens:

Credit amans, thalamosque parat, deauctur illæ Anna regens vultus ut nova Nuptia suos.

Erat Anna illa filia Beli, ac Soror Didonis, cujus amore exarierat Aeneas, ut pluribus congestis de illa narrat idem Serra ubi sup. Verb. Anna. Et idem Poeta scribens de nuptiis Orphei lib. 10. Metamorphos. meminit ejusdem moris cooperiendi velo capita puellarum, dicens:

Inde per immensus evocet velatus amicum Æthera digrediens, Ciceromque Hymeneos ad aras Tondit, &c.

Liberi, ac Veneris filium fingunt Poetæ Hymeneum fuisse, alii progenitum ex Urania Musa, qui primus certas nuptias instituerit, & ob hujusmodi meritum vocem hanc factam esse nuptialem apud Græcos, De Sacram. Matr.

itaut Hymeneos agere idem sit, ac Nuptias celebrare, ut notat prædictus Serra Verb. Hymeneus; ubi longam narrat Historiam de pulcherrimo juvene Hymeneo nuncupato, qui tamquam puella inveniatur, & cum puellis converfabatur; & meruit à Græcis inter Deos collocari, ut nuptias præstideret. Igitur Matrimonium vocatur Connubium, ac Nuptiæ, à prædicto usu obnubendi, & tegendi velo caput sponsæ. De ejus colore plura differit Serlogus in Cant. tom. 3. Vestigat. 28. cap. 4. sect. 1. à num. 7. & seqq.

Tandem verè, ac propriè, ut supra dictum est, contractus iste, ac Sacramentum simul de quo explanationem aggressi sumus, vocatur Matrimonium; quasi Matris munium; duplici de causa; Una, quia 26 mulieres in eundem hunc contractum, impensè cupientes fieri Matres, filios scilicet generando, ac pariendo. Hinc Rachel nupta Jacobo, cùm sterilitate laboraret, ingenitens dicit illi: Da mihi liberos, alioquin moriar. Genes. 30. 1. Et de muliere illa, quæ hospitabatur Elifseum, Jezi discipulus ejus dixit ei cogitanti, quam reddere possit retributionem? Ne quaeras? filium enim non habet, & Vir ejus senex est. 4. Reg. 4. 14. quasi diceret, si vis rem gratam ei facere, Deum roga, ut filium possit concipere, ac parere, prout fecit; verissimum est enim, quòd scripsit S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. Mulier contrahit, quia vult effici Mater. Altera causa est denominationis prædictæ à Matre, & non à Patre; quia cùm finis primarius hujus contractus regulariter sit prolis procreatio, & educatio; in hunc finem magis insudat Mater, quam Pater; siquidem ut legitur in cap. Ex litteris. De Convers. Infidel. Infans magis materno indiget solatio, quam paterno; sibi enim ante partum est onerosus, in partu dolorosus, & post partum laboriosus fuisse noscitur; ac ex hoc legitima conjunctio maris, & femine magis Matrimonium, quam Patrimonium nuncupatur. Quod notant Theologi, ac Canonistæ, Eminentiss. Cadin. de Lauræa de Matrim. disput. 12. num. 2. Maltrius eod. tract. disput. 7. num. 1. & Salmanticenses de Matrim. tract. 9. in princ. addentes, è contra, quòd Patrimonium à Patre dicitur, qui plus in ejus augmento, & conservatione desudat.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Definitur Matrimonium tamquam contractus tum in fieri, tum in factò esse. Innuit obligatio genitorum alendi proprios filios: & ad quid teneantur, qui mittunt illos ad Hospitalale Domus Dei? Inquiritur, in quo consistat essentia contractus Matrimonialis? Ostenditur septem rationibus, copulam actuale non esse de ejus essentia; idque confirmatur Exemplis Conjugum, qui in Matrimonio Virginitatem, & Castitatem perpetuam servarunt.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonium in fieri quomodo desiniatur?
- 2 Definitio debet consistere ex genere, & differentia.
- 3 Finis præcipuus Matrimonii est proles.
- 4 Proles educatio insti à natura in hominibus, & in animalibus.
- 5 Epistola Cardin. Barbadiæ de bona educatione filiorum.
- 6 Genitores mittentes filios ad Hospitalale Domus Dei ad quid teneantur.
- 7 Dotare filias etiam spurias genitorum tenentur.
- 8 Matrimonii in factò esse definitio.
- 9 Vinculum indissolubile est Matrimonium consummatum.

eramentis cap. 30. Septimo, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. dicitur, Matrimonium perfecti mutuo consensu, & in Concilio Tridentino *sess. 24. de Matrim. can. 6. habetur*, dari Matrimonium Ratum, ac Matrimonium consummatum. Oportet, quia multi Sancti conjuges fuerunt, qui inter se inierunt Matrimonium, & tamen mutuo consensu Virginitatem perpetuam servarunt; inter quos S. Henricus Imperator, cum Imperatrice S. Catechizande ejus Uxore, ut in Breviario Romano *die 12. Julii. S. Cecilia*, ac S. Valerianus Nobiles Romani, ac Martyres, cujus S. Cæcilie corpus à Clemente Papa VIII. post tot annorum centurias illæsum, & integrum fuit repertum. S. Julianus, & Basilissa, quorum vita illustris extat apud Surium *tom. 1. die 9. Mensis Januarii. S. Pulcheria Augusta Soror Theodosii Imperatoris*, que cum perpetuum Deo vovisset Virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creavit Imperatorem, ut suam castitatem Deo votam conservaret, quod & præstitit, teste Nicephoro *lib. 14. cap. 2. Cedreno*, & aliis. Boleslaus V. Polonorum Princeps, qui inde Pudici nomen accepit, quia Cuncugundem Bæla Regis Hungarorum filiam in conjugem duxit, sed intactam reliquit. Mathildis Comitissa Italiæ, que Vulsoni Duci, jussu Urbani Papæ II. nupsit hoc pacto, ut suum Virginitatis Votum inviolatum servaret, ut factum est, Spondanus *Anno 1089. num. 5.* Conradus Rex filius Henrici IV. Imperatoris, qui cum alia Mathilde conjuge sua ab omni copula ex amore castitatis abstinuit. Alfonso II. Asturum Rex, qui cum Uxore sua continentiam servans, Casti nomen accepit. Richardis Regina Galliarum, que cum marito suo Carolo Cæsario Rege celesbs permanfit. S. Phauldus Nepris S. Amelbergæ, æque ac Pipini, que perpetua fuit in conjugio Virgo. Eduardus III. Rex Angliæ, & Egitha Virgines, & conjuges. Ethelreda Orientalium Anglorum Regina, que bis coniugata, semper Virgo permanfit, de qua, & de supra recensitis legendus est Eminentiss. Cardin. Baronius *Anno 337. num. 50. Anno 480. num. 19. Anno 777. num. 2. Anno 1043. num. 2.* Bagatta in *admirand. tom. 2. lib. 3. cap. 7.* nec non Cornelius à Lapide *Comment. in 1. Epist. ad Corinthe. cap. 7. Vers. 6.* ubi in fine refert duos alios Conjuges Arvernenfes (Arvenum est Urbs Gallie Aquitanie) qui perpetuam castitatem in Matrimonio servarunt, de quibus S. Gregorius Turonensis *lib. de Gloria Confessor. cap. 32.* ita scribit: *Cum Uxor obisset, maritus elevatis in cælum manibus dixit: Gratias Tibi verum omnium Artifex ago, quod sicut tibi eam commendare dignatus es, ita Tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam.* *At illa subridens ait: Sile, sile, Vir Dei: quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulò post mortuus est maritus, alioque loco sepultus, & ecce mané factio, inventa sunt pariter esse sepulcra, que usque hodie sic perdurant; idcirco nunc incolæ, Duos, amantes vocitant, & summo venerantur honore.*

Cæterum præter supradictos, ac alios plurimos castissimos Conjuges, qui in Matrimonio à copula abstinentes, Virginitatem servarunt, ut de eis Historiæ, ac Vita Sanctorum frequenter testantur; summa veneratione notandum est exemplum Inmaculatae DEIPARÆ Virginis, ejusque Sanctissimi Sponsi JOSEPH, qui vexillum castitatis non tantum Virginibus, sed & conjugatis exeruerunt, est juncti Matrimonio, de quo in sequenti Decisione specialiter est differendum.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio, An inter DEIPARAM, & S. JOSEPH intercesserit verum Matrimonium, an sola Sponsalia? Præmissa tria, de educatione B.M.V. in Templo; de ejus Voto perpetue Virginitatis, quod omnium prima emisit, & de modo, ac tempore, quo fuit S. Joseph desponsata. Quòd hæc fuerint tantum Sponsalia, rationes sex, ac SS. Patrum dicta. E contra, quòd fuerit verum Matrimonium, rationes septem, ac SS. Patrum testimonia. Solutio ratiouum in contrarium adductarum, & declaratio SS. Patrum. An Votum perpetue Virginitatis stare possit cum Matrimonio? Tandem plura de ætate, excellentia, ac Patrocinio S. JOSEPH.

SUMMARIUM.

1. MARIA Virgo qua ætate in Templo sit præsentata?
2. Filie primogenitæ an essent Deo offerende?
3. Cellule in Atrio Templi Hebræorum pro Virginum, ac Viduarum habitations.
4. MARIA Virgo in Templo inhabitans Votum fecit perpetue Virginitatis.
5. Angelica attestatio ejuſdem Voti ad S. Birgittam.
6. Votum Virginitatis perpetue à quo prius emissum in Veteri lege?
7. MARIE DEIPARÆ primatus Virginitatis debetur.
8. Sedulii Poeta Carmina Salve Sancta Parens, &c.
9. Virgines Viri, ac Femine si qui in lege veteri, ac non ex Voto.
10. Matrimonium Deiparæ cum S. Joseph quomodo factum, & à quibus?
11. Virgines educatee in Templo factæ nobiles dimittantur?
12. S. Joachim Pater DEIPARÆ an viveret tempore ejus desponsationis cum S. Joseph?
13. S. Anna Mater B. V. MARIE vivebat, dum natus est Christus.
14. Filie Hebræorum hereditarie debebant nubere uni de Tribu, ac Familia Patris sui.
15. Annoti quot haberet DEIPARA, dum fuit desponsata?
16. Matrimonium verum, an Sponsalia tantum contraxerint MARIA, & JOSEPH inter se?
17. Quòd sola Sponsalia, Rationes sex, & DD.
18. Quòd verum Matrimonium, Ratum tamen, non consummatum, Rationes septem, & DD.
19. Argumentorum pro Sponsalibus tantum solutio.
20. Votum Virginitatis DEIPARÆ triplici ratione non impedivit ejus Matrimonium.
21. DEIPARA, ac S. JOSEPH antequam simul Matrimonium contraherent, sua Virginitatis Vota ad invicem sibi manifestarunt, & servare sponderunt.
22. Dominium rei stare potest obque ejus usu.
23. SS. Patres negantes Matrimonium inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intelligendi sunt de Matrimonio consummato.
24. Ætas, ac anni S. JOSEPH dum Virginem DEIPARAM desponsavit.
25. Ejus excellentia septem ex eadem desponsatione.

Hic autem inquirendum venit, an inter DEIPARAM, & ejus Sponsum S. JOSEPH fuerit verum Matrimonium? Pro majori intelligentia tria sunt præmittenda.

Primum est, quòd Augustissima, ac Sanctissima Vir-

Virgo Mater Dei, tribus tantum annis educata fuit in domo S. Joachim, & S. Annæ parentum ipsius, à quibus sterilitate laborantibus, & prolem à Deo petentibus, votum factum fuit, illam consecrandi, ac offerendi Deo, adinstar Annæ Matris Samuelis, quæ filium suum juxta prece obtentum, Deo obtulit, ac ejus Divino Servitio mancipavit, ut legitur 1. Reg. 1. 26. Idcirco, quamvis lex de offerendis primogenitis ad offerendas filias eas offerre, ac divino numeri consecrare, ut observat Suarez *in 3. par. D. Thom. tom. 2. disp. 7. in princ. & sic cum Deipara esset annorum trium filia per S. Joachim, & S. Annam in Templo presentata, & ibi in sanctis virtutibus, ac divino Amore erudienda relicta. Virginitas ejus, in Templum est presentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annis undecim; ait Evodius apud Nicephor. lib. 2. cap. 3. quos refert Salianus ad Annum Mæpni 4051. num. 17. Siquidem, ut innuimus in nostris Decisionibus de Sacrificio Missæ, Decif. XII. sub num. 32. in Templo Hebræorum non solum in artibus exterioribus erant constructæ cameræ, in quibus habitarent Sacerdotes, ac Levitæ, ipsi Templo ministrantes juxta vices suas, sed etiam erant cellulae pro habitatione sanctorum mulierum tum Virginum, tum Viduarum, quæ ibi manebant in jejuniis, ac orationibus servantibus Deo; ac in utensilibus sacris manutendis, conservandis, & multiplicandis se occupantes, ut legitur 2. Machab. 3. 19. & Luc. 2. 36. traditque Josephus Hebræus *lib. 8. antiqu. cap. 3. & late Canisius de Deipara lib. 1. ca. 12.* quos allegat etiam Suarez *d. disp. 7. in princ.* In hoc ergo loco, & cellulis Templi, in quibus aliæ Virgines, ac sanctæ mulieres Viduæ morabantur, permanfit Deipara Virgo usque ad nobiles annos, soli Deo vacans, & forma virtutis efflata, ut dicit S. Ambrosius *lib. 2. de Virginit. atque Angelorum apparitionibus fruens*, à quibus etiam cibum ei ministratum fuisse scribit S. Bonaventura in *lib. Meditat. Vita Christi cap. 3.* ex Gregorio Nicomedensi *Homil. de oblat. Virg. in templo*, & ex Cedreno in *Compend. Histor.**

Secundum præmissum est, quòd inter cæteras heroicæ virtutes, quas DEIPARA Sanctissima acquisivit, & exercuit in Templo inhabitans, præcipua fuit puritas animæ, & corporis; unde Votum perpetuæ Virginitatis emisit, ut docent S. Augustinus *lib. de Virginit. cap. 4.* S. Gregorius Nyssenus *serm. de Nativiti. Rupertus lib. 4. in Cantic. S. Bernardus de Excell. Virginit. cap. 4.* Hugo Victorinus *lib. de Perpetua Virginitate cap. 1.* & cæteris omissis, universa Schola Theologorum cum Magistro Sententiarum in 4. dist. 30. Hinc Angelus ad S. Birgittam in *Serm. Angelico cap. 12.* ita ei narrait: *Hæc denique Virgo (MARIA) post suam navitatem novæ lucernæ, sed nondum accensæ, similis erat, quam ita tamen accendi oportuit, quòd sicut Dei caritas, que tribus flammis asinusatur, in calis radiabat, simili modo hæc electa lucerna MARIA aliis tribus charitatis flammis in hoc tenebroso mundo radiaret. Prima quippe flamma MARIE coram Deo satis lucide resplenduit, quando ad Dei honorem Virginitatem immaculatam usque ad mortem firmiter servare promise. Hanc utique honestissimam Virginitatem ita Deus Pater concupivit, quòd suum dilectum Filium cum sua, Filique, ac Sancti Spiritus Divinitate sibi mittere dignatus est. Hoc idem manifestavit eadem S. Birgitta ipsa DEIPARA *lib. 7. Revolut. cap. 25.* his verbis: *Verum tamen pro certissimo scire debes, quòd Joseph antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu Sancto me vovisse Virginitatem Deo meo; immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere. Hinc Ven. Beda super illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud? ait, Proposuit suæ mentis Virgo exposuit,**

vitam scilicet Virginitatem ducere se decrevisse. Et Sanctus Augustinus in lib. de Sancta Virginitate cap. 4. Profundè (inquit) non diceret Virgo, quomodo fiet istud? nisi Deo Virginitatem se ante vovisset.

Inquirunt autem hic Dōctores, an Deipara fuerit prima, que votum emisit Virginitatis, ita ut nullus sine Virginitate, sive Femia ante illam professus fuerit vitam Virginitatem? Et prima Virgo fuit, teste S. Ambrosio *lib. 1. de Virginit. Item Jeremias, Eusebius, ac Silyria*, quas recensimus de Sacrificio Missæ *Decif. XXVI. a n. 24.* & Joann. Joann. Secundò, quia etiam Melchisedech, & Josue fuisse Virgines notat S. Ignacius in *Epist. ad Philadelphiosenses. Tertio*, quia Danielis corpus, ita obduratum fuit, ut Leonum dentes illi infingi nequiverint, scilicet per Virginitatem; & per eam tres pæri adepti sunt, ut ignis eorum corpora minime inficere poterit, juxta S. Jo. Damascen. *lib. 4. de fide c. 25.* Quarto, quia inter Judæos collegium fuit Essenorum, de quibus pariter nos scripsimus de Sacrificio Missæ *Decif. XXIV. num. 61.* & quos vitam in castitate tradidisse ex gravissimis Auctoribus demonstravimus. Quintò quia in Templo inter sanctas mulieres ibi commorantes plures erant Virgines, ut dictum est supra *nu. 3.* quarum aliquas vitam castam usque ad mortem ducere voluisse, non videtur impossibile. Et Sextò, quia D. Gregorius Nazianzenus in *carminibus de Virginit.* concedit in veteri lege servatam à nonnullis Virginitatem; & Sotus in 4. dist. 3. *qu. 1. art. 1. ait: DEIPARAM Virginem in sua gente Virginitatis colendam exemplum habuisse.*

His tamen minime obstantibus contrarium est affirmandum, ut docent SS. Patres, quos longa serie recenset, & quorum verba refert Barradius in *Concord. Evangel. tom. 1. lib. 7. c. 8.* ad illa verba: *Quomodo fiet istud? videlicet S. Bernardus, Beda, Albertus Magnus, S. Antonius, S. Bonaventura, Rupertus, Abulensis, & alii*; qui omnes primum Virginitatis Augustissimæ MARIE Virgini defuerunt, ea ratione quia in veteri lege omnes subdebant generationi; itque felix, ac Deo charas judicabatur, qui liberorum copia abundaret, unde aiebat David *Psal. 127. 3. Uxor valdeest viri abundans in lateribus domus tue. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mense tue.* Idcirco omnes feminæ appetebant conjugia; & earum nulla Virginitatem colebat, & propter hoc dicitur *Justic. 11. 37.* quòd Iephte amare ftebat, quòd in Virginitate mori cogeretur. Hinc DEIPARA appellatur Regina Virginum, idest prima, quæ Virginitatem professæ est, & de ea canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo*; quæ verba desumpta sunt ex Sedulio antiquissimo Poeta christiano, qui floruisse fertur sub Theodosio Imperatore Anno Christi 430. Is enim *Carmin. lib. 2. sic 8* de Sanctissima Virgine Dei Matre ceccinit: *Salve Sancta Parens, emica puerpera Regem, Qui cælum, terramque tenet peracula: cuius Numen, & eterno complectens omnia ergo Imperium sine fine manet: que ventre beato Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Nec primam similem vasa es, nec habere sequentem. Sola sine exemplo placuisti Femina Christo.* Quibus relatis verbis sic subdit Barradius: *Carmina si expendas, intelliges hanc verborum, de quibus sermo est, esse sententiam. Nec primam, & Virginitatem equalem Tibi ante Te, nec sequentem post Te: quocirca sola sine exemplo, idest sine pari, & equali placuisti Christo: nullum enim fuit aliud exemplum, idest nulla fuit alia femina Virgini par, Voto Virginitatis constantia.*

Neque subsistunt objectiones supra factæ, quia esto Sancti illi homines Virginitatem servaverint, eam